



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIV. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Episcopvm Taracinensem. De  
Iudaeis non persequendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

bi increpationis & admonitionis administrat. Tantum est  
2. Cor. 6.  
 vt pensare solcite debeas quod Paulus ait: *Exhortamur  
 vos, fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim: Tem-  
 pore accepto exaudiuite, & in die salutis adiuuete. Ecce nunc tem-  
 pus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* Sed scio quia cum epi-  
 stola mea suscipitur, protinus amici conueniunt, literati  
 clientes vocantur, & de causa vita consilium a fautoribus  
 mortis queritur: qui dum non te sed res tuas diligunt,  
 nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur.  
 Tales enim fuerunt, sicut ipse reminisceris, dudum con-  
 siliarii, qui ad tanti facinus te perduxerunt delicti. Ut ibi  
 aliquid secularis auctoris loquar: Cum amicis omnia tra-  
 etanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa tua homi-  
 nem consiliarium queris, consiliarium rogo me suscipe.  
 Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non  
 tua, sed te diligit. Omnipotens Deus cordi tuo indicet cor  
 meum, quanto te amore quantaque caritate complecti-  
 tur; inquantum tamen diuina gratia non offendatur.  
 Nam sic culpam tuam insechor, vt personam diligam. Sic  
 personam diligo, vt culpæ vitium non amplectar. Si igitur  
 a me amari te credis, apostolorum liminibus praesenta-  
 re, meque consiliario vtere. Si autem fortasse in causa Dei  
 minus creditor, & pro zeli mei ardore suspectus sum, cun-  
 dictam simul ecclesiam in consilio huius disceptationis adhi-  
 beo, & quidquid omnibus fieri salubriter placet, ego in  
 nullo contradico, sed quod in commune decernitur, læ-  
 tus implebo, & subscribam. Implementem quæ monui, gra-  
 tia te diuina custodiat.

## EPISTOLA XXXIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM TARACINENSEM.

De Iudeis non persequendis.

*Gregorius Petro episcopo Taracinensi.*
Iuo p. i. c.  
 2.85, & p. 13.  
 cap. 102.

**I**OSEPH, præsentium lator, Iudeus nobis insinuauit, quod  
 Ide loco quodam in quo ad celebrandas festiuitates suas  
 Iudei in Taracineni castro consistentes conuenire con-  
 sueuerant, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum  
 pro colendis similiter festiuitatibus suis, te quoque no-

scente & consentiente, migrauerint, & nunc de eodem loco expulsos se denuo conqueruntur. Sed si ita est, volamus ut tua fraternitas ab huiusmodi se querela suspendat, & ad locum, quem sicut prædiximus, cum tua conscientia, quo congregentur adepti sunt, eis, sicut mos fuit, ibidem liceat conuenire. Eos enim qui a religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare: ne quos dulcedo prædicationis, & prætentus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur. Oportet ergo magis ut ad audiendum de vobis verbum Dei benigne conueniant, quam austoritatem, quæ supra modum extenditur, expauescant.

## EPISTOLA XXXV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.

De controuersia Maurilionis &amp; Georgii.

*Gregorius Ioanni episcopo Ravennati.*

**S**i professionem ordinis nostri & locum, cuius ministerium gerimus, attendamus, oportet nos affictis, in quantum possumus, comitante iustitia subuenire. Quoniam ergo gloriosum virum Maurilionem expræfecto in septis ecclesiasticis insontem residere cognouimus, vestra fraternitas, in quantum possilitas subest, opem ferre festinet. Non quia, quod absit, de viri excellentissimi domini Georgii præfecti iustitia dubitamus, aut in aliquo putamus a rationis tramite declinare, virum quem in huius tantæ dignitatis administratione, sicut nostis, in bonis omnibus habemus expertum; sed quo & gloriosus vir Maurilio expræfecto rationes suas absque suspicione oppressionis exponat, & prædictus excellentissimus vir dominus Georgius præfctus rationes sine laceratione suæ opinionis exequatur.